

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XXX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

cem meam auribus verè conqueri non possum. Cupiditate inexplebili non sum ego, nunc facile contentus ad sacerdotia obtenta me reciperem, nisi collegiorum istorum statuta à percipiendis inde fructibus me suspenderent, statutum itaque tempus expectandum erit. Est quidam Romæ, ut mihi videtur, satis annosus sacrificulus, qui contra te Italiæ defensionem suscepit scribere, nuncq; edere, qui Italiam magna abs te affici ignominia putat, quod in adagio: Miconius calvus, scripseris, illam solere raros bel-laces producere . . . refert mihi Dominus à Gumpenberg, Pontificem prohibuisse, ne ederet &c. Docti, ut audio, rident, inq; deliciis habent hominem, scripserunt nescio qui ad illum ex tuo nomine epistolam, qua rogas eum, ne apologiam illam edat, hanc ostendit Gumpenbergio, qui negavit tuam esse, & ipse hoc verum esse intelligit, & ob hoc quosdam suspitione notat, in quos vult stylum vertere. Est homo qui fruitur infania, suaque etiam damnatur apud omnes, quare non est, ut hinc illam concipias molestiam . . . Romæ, XXIX. die Martii, M D XXXV.

*Reverenda ac Clariss. t. D.*

*deditissimu*

Franciscus Rupilius.



XXX.

*Eruditione & pietate Christiana insigni viro, Nicolao Gerbellio, Jurisconsulto, fidelissimo suo in Christo amico.*

Jhus.

**S**alutem in Christo. Literæ tuæ ad me datæ, Gerbelli suavissime, vigilia Pentecostes, redditæ mihi demum sunt ad Michaelis festum & has ego do ad te, hodie omnium sanctorum die, nescio ad te quando perventuras, ad aliam forte Pentecosten, aut ad Calendas Græcas. Vides causam silentii mei? fortunæ scilicet, hoc est, occultæ DEI voluntari id tribues. Cæterum quod tam anxie & amice de rerum mearum statu perquiris, arbitror interim ex aliiste cognovisse. Cessi publico amicis suadentibus obsequutus, tum invitus, tum incertus, an DEO gratum facerem. Ego quidem arbitrabar, cervicem esse ob-jectandam publico furori, sed illis aliud visum, quorum consilio adornati equi-tes simultatis insidiis me ceperunt in itinere, & in locum tutum, quo nunc hu-  
manissi-

manissimè tractor, posuerunt. Sed mille credas me Sathanibus objectum in hac ociofa solitudine : tanto est facilius adversus incarnatum diabolum, id est, adversus hominem, quam adversus spiritalia . . . . . in cœlestibus pugnare. Sæpius ego cedo, sed sustentat me rursus dextera excelsi ; quo nomine & publicum denuo suspiro : sed nolo nisi vocarit Dominus. Libellos meos ad te mittere non est meum : scripsi de hac re Spalarino, ut id curet. Exiit interim libellus adversus Catharinum de Antichristo. Item adversus Latomum Lovaniensem. Item Vernaculus de confessione, Item Ps. 67. vernaculè declaratus. Item Canticum Mariæ vernaculè explicatum : Item Ps. 36. vernaculus ad Ecclesiam Wittebergensem, consolatorius. Philippus Apologiam adversus Parrhisienses pro me edidit, quam ego vernacula donavi, edita & est ipsa. Idem jam sub formis habet Methodum Theologicam : librum Philippo dignum. Mihi sub formis est vernacula Enarratio Epistolarum & Evangeliorum per annum. Item in Cardinalem Moguntinum absolvi reprehensionem publicam ob Idolum indulgentiarum, Halli denuo erectum. Item Enarratio Evangelii de leprosis decem : omnia vernacula. Germanis meis natus sum, quibus & serviam. Pruric animus in Academiis publicè investivas moliri, sed nondum statui. In Matthæum nihil instrui commentari : sed Wittebergæ pro suggestam utrumque testamentum ab exordio populariter declamare & profeceram in Genesi usque ad cap. 32. in Evangelio usque ad vocem Joannis Baptistæ. Hic obmutuit vox mea. Ecce habes omnia, quæ postulasti. Literas tuas priores, quas Wormaciæ ad me miseras, multum post in hac solitudine accepi. Mirum autem est, quam placuerit & uxor & Paranympus, qui eam mihi & donavit & adornavit. Peperit autem mihi filios, quos superius recensui, tu judicabis, an proles sit matri similis. Fœcunda adhuc est & tumescit uterus ejus pleno sinu, paritura, si Christus volet, filium, qui virga ferrea franget Papistas, Sophistas, Religiosistas, & Herodistas. De votis enim Religiosorum & Sacerdotum Philippo & mihi robusta est conspiratio, tollendis & evacuandis scilicet. O sceleratum illum Antichristum cum squamis suis, ut Christianæ pietatis Satan per eum vastavit mysteria. Conjugem tuam resalutabis, quam opto tibi amantem & amatam. Felix tu, qui nepturum istum celibatum & vel uredine perpetua vel immundis fluxibus damnabilem, honorabili conjugio superasti. Patere, quicquid fert hoc vitæ genus à DEO institutum & gratus esto DEO tuo. Tanta monstra mihi iste adolescentum & puellarum celibatus miserrimus quotidie manifestat, ut nihil jam in auribus meis sonet odiosius Monialis, Monachi, sacerdotis nomine, & paradisum arbitrer conjugium, vel summa inopia laborans. Salutabis & alios mihi à te nominatos, Othonem Brunfelsium, Casparem Wingerum, & Lucam Bathodium & omnes, qui tecum sentiunt in Evangelio & damnant reli-

O o o o o

reli-

religiones angelorum, ut Apostolus ait. Et tu vale felicissime ac pro me ora. Ex Eremito mea 1522.

1521  
Marth. Luth.

XXXI.

*D. Nicolao Gerbellio, Doctōri juris, amico suo.*

**S**. D. Dedi nostro Setzero meam sententiam κατ' ἀναβαπτισμῶν, cui locus adjunctus est de rerum communione, quæ si non fallor, utrisque Theologis displicebunt. Attigi enim alicubi totam illam factionem, tamen κατὰ ἰσχυρίας nihil scripserim. Videntur mihi ex Theologis paulatim fieri μεταβολῆς, video enim eos plane ad rationem revocare dogmata Christi & philosophari. Ego certo consilio adhuc non admiscui me contentioni κατὰ ἰσχυρίας, dicam tamen, ubi primum tantum nactus fuero oicii, meam sententiam. Ipsi sic pingunt Christum certo aliquo loco sedentem, sicut Homerus Jovem suum convivantem apud Æthiōpas. Mihi alienissimum à scriptura videtur, tollere præsentiam Christi ex Eucharistia. Vale feliciter.

Philippus Melanchthon.

XXXII.

Erasmo.

Ceterum ne officio meo aut loci aut temporis occasione defuisse videar, quid Beda in caput tuum molitur, paucis accipe. Ex paraphrasibus nescio quot Myriades herefeon, ut loquuntur, facultati exhibuit, mitto, quas facultas jam condemnavit, simul & eas, quas nunc tractat, nec est, quod speres à facultate nisi omnia sinistra, improba & iniqua, proinde cura, ut tibi assit animus, uti non deest calamus. Est tibi negocium cum ignorantissimis & impudentissimis traductoribus. Sunt in facultate literati non pauci, sed in illos animadvertitur, ut in pejores Lutheranis. Luteciæ, die Divo Dionysio sacra.

Tuus

Geruasius.

XXXIII.